



~~AM. 13.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-51. ———
SIGNAT. MDCCCXIII.



4.

I. N. J.
MOROTOMIA ANALPHABETICA EXPLOSA,
RIDICULI A. C. ANATOMICI,
PACIFACII (ut vult) CATHOLICI,
D. THOMÆ HEINRICI,

quondam, dum videret,
PROTONOT. APOST. CATHED. ECCLES. BASILIENSIS CANONICI,
S. S. LIT. P. ET ARCHIDUC. UNIVERS. FRIBURG. RECT.
POSTHAC EPISCOPI CHRYSOPOLITANI EPISCOPA-
TUS BASILIENSIS VICARII, ET AEDIS CANONI-
CALIS DECANI,

In duabus Quaestionibus,
DE SOLA FIDE GRATIS
JUSTIFICANTE,

SUB SPIRITUS SANCTI HYPERASPISMO,
ET PRÆSIDIO
VIRI

SUMME REVERENDI, EXCELLENTISSIMI AMPLISSIMIQUE
DN. JOHANNIS *Deutschmann*/
S. S. THEOL. D. ET P. P. CELEBRATISSIMI,
ELECTORALIUM ALUMNORUM EPHORI
GRAVISSIMI &c.

DNI, FAUTORIS AC PRÆCEPTORIS ÆTATEM VENERANDI,
SUSCEPTA

AD A. M. DC. LXXVII. DIEM XIII. SEPTEMB.
A. RESPONDENTE

ESAIA PILARICKIO, Hungaro,
SEREN. AC POT. ELECT. SAX. ALUMN.
IN AUDITORIO THEOLOGICO.

WITTEBERGÆ, Typ. s. JOHANNIS BORCARDI, Acad. Typ.
Excudebat SIMON, LIBERHIRT,

ILLUSTRISSIMO AC CÆLSSIMO COMITI
AC DOMINO

DN. ULRICO à KOLLONITSCH,
COMITI IN KOLLOGRAD AC KOLNICZ,
DOMINO IN BURGSHLEINITZ, HEINDARF ET FEDEN-
SPEIGEN, BARONI AC EQVITI, DOMINO IN
GROSS SCHUTZEN &c. &c.

ut &

SPECTABILI AC MAGNIFICO DOMINO

DN. MATTHIÆ OSTROZITZ,
L. B. DE GULETHINTZ, HÆREDITARIO DO-
MINO ARCIUM ILLAVA ET LIPTOVAAR, NEC NON CA-
STRI LUDAN, SACR. CÆS. MAJESTATIS CONSILIARIO
ET CUBICULARIO, &c. &c.

DOMINIS DOMINIS

ac Mœcenatibus clementissimis

Hanc Anatomem Deliquiorum Heinricianorum
CONFUTATAM

eâ, quâ par est observantia humillimâ,

in

Sui, Suorumque studiorum commendationem,
spemque duratui patrociniî,
submisse offert, inscribit & dedicat

CLIENS RESPONDENS

ESAIAS PILARICK, Hungarus,
GRATIAM DEI AC CÆSARIS PÆ-
RENNEM PREGATUS.

Eximio ac Praestantissimo
DN. ESAIÆ PILARIKIO, Hungarō,
S. S. Theologiæ cultori indefesso
Amico dilecto

De Justificatione disputanti.

Justificat Dominus gratis, quos crimina damnant,
Nam SPONSOR Noster crimina cuncta tulit.
Hoc Evangelium testatur voce sonorâ;
Hoc contra Papam, mi PILARIKE doces,
Gratulor hos ausus, FELICITER Acclamando:
Sic Tibi reddantur justa brabeja, precor.

ABRAHAM CALOVIUS, D

Justificare DEUM, tradit Sacra Pagina nobis,
Hic peccatores justificare solet.

Dicitur hoc ingens, Majus quo non datur ullum
Donum, quod confert rite salutis oper.

Peccatis meritum mors præmia dira ferebat,
At Christi meritum præmia dura tulit:

Et cæli dotes peccantibus obrulit, inde
Peccantes Dominus justificare cupit.

Talia nunc meditære piis conatibus, atque
Dotes ingenii multiplicare stude.

Perge DEO Summo, Summisque placere PATRONIS,
FAUTOR AMANDE, Tibi proderit iste labor.

Et DEUS in cælis probat hæc, Summisque PATRONI
Auxillium studiis usque favore dabunt!

JOHANNES Deutschmann/ D.

Sola fides Sanctos semper conjunxit Olympo,
Nam Christi prendit vulnera Sola fides.

Falsa fides operum Papam detrusit Olympo,
Nam Christi minuit vulnera falsa fides.

Risit Anatomicus fidei solius abundas
Vires, nunc fidei fors gemit acta suæ.

Tu dilecte, fide qui solâ ad Coelica tempe
Niteris, in Christi gaudia carpe sinus.

Rev. STEPHANUS PILARIKIUS, p. n. post triste Exi-
liam Ecol: Neosalzen, designatus Pastor & Solator.

Phy pudeat, pudeat Papam sic esse ferocem,
Jesu justitiam, dum negat esse suam.
Dum bona tractandi sit nulla relicta potestas
Dum pariter nullum, nobile munus adest.
Tempus adest placidum, quo Jesu dedita Turba,
Solâ salvatur, sic sine labe fide.


Rev. JOHANNES HADIKIUS, Exol.



Εὐχαριστία Augustæ Fidei Augustanæ, Sola Fides.

Mens malefida fuit, quæ HEINRICI pectora THOMÆ
Invasit Momi, digni, qui in fronte superba
K. gerat impressum, quo fœda Calumnia pungat
Lumina Anatomici: cû Summo Præside DEUTSCHMANN,
OPILARICK! ô noster Amor! nunc stigmat a figis:
Sola fides namque est, quam Cœlica Regna beabunt.

M. GEORGIUS GASSITZIUS, Hung.



Mira! fidem damnat Papalis Curia totam,
Justitiam quærens per Bona Facta suam.
Aut mirum non est: nec Christus sufficit ipse
Huic, nisi Sanctorum maxima Turba juvet.

M. PETRUS THEOD. SEELMANN, Hung. S. S. Th. St.



ERgò iterum certas, & prælia FRATER amande.
Justa moves Papæ, qui premit HUNGARIAM?
Felix, ô Felix, qui Quartum ritè Cathedram
Scandis, in Albiacis prende Brabeja jugis.

JEREMIAS PILARICK, Hung. SS. Th. St.



Dum mihi GOTTHANI spectatur Principis Aula,
Meque rapit totum Musica noster amor,
Theologia Medici Tu stringis dogmata Thoma,
Sic Medico, plaudens Aulicus, ampla cupit.

GABRIEL PILARICK, Hung. Ser. Princ. Gotth. Camer. Alt.



Justiciâ damnas propriâ sum judice, se quis
Hac putat injustum justificatus abire.

NICOLAUS LUCÆ, R. H.



IN NOMINE JESUI

QVÆSTIO SEXTA

An & quomodo gratis justificemur?

1. **H**anc quæstionē duabus conclusionibus Adversarius expeditam dedit. Conclusio I. verbis seqq. absolvitur: *Certissimum, & inter nos, & adversarios indubitatum est, homines gratis à DEO justificari, quia hoc scriptura clarissimè sæpe tradit Rom. 3. 24. Eph. 3. 8. Apoc. 22. 17.* Est igitur hæc *Anatomica conclusio non Anætomica.* Nam si consensus in hoc inter *A. C. & Papistas* reperitur, nulla certè, quoad hanc quæstionem, opus erit *Anatomia.* Sed ad consuetam *anætomiam Anatomici* hoc referendum. Quod v. rem ipsam attinet, de *Confessione* quidem certum, quod *gratuitam justificationem* doceat, cum, præter alia documenta, testimonium adversarii, quod aliàs ad probandum efficacissimum esse solet, pro se reperiat; sed, an idem de *Papistis* sit dicendum, id certè non adeo liquidum. Licet n. particulam ipsam, *Gratis*, utpote sæpius in *S. L.* quoad justificationis actum adhibitam, negare non audent, tamen suis hypothesebus hanc particulam, ejusque significationem emphaticam multis modis labefactant.

2. Hic unicus sufficiat nobis *Bellarmin. l. 1. de justis. c. 21.* Particulam *Gratis* duobus modis accipi scribit: uno, ut opponatur debito ex *justitia, sive meritis ex condigno, quæ sunt absolutè & simpliciter merita: altero, ut operi factò sine ulla gratia ex solis natura viribus, sive illud opus dicatur meritum ex condigno, sive de congruo, sive etiam solum dicatur conditio, aut ratio aliqua, cur detur homini justificatio.* *Priore modo justificationem gratuitam non excludere opera, quæ dicantur concurrere ad justificationem, ut dispositiones, l. ut merita de congruo, modo ne tribuatur eis meritum de condigno. Posteriore v. justificationem gratuitam non excludere merita absolutè, sed propria, quæ in nobis & ex nobis, non ex Deo sint.* Sed hæc, & alia, quæ l. d. *Bellarmin.* ad elusionem particulæ *gratis* adduxit, *B. Jac. Mart. Coll. 2 in A. C. d. 1b: 16. seqq.* refutavit. Nos illa non movebimus, quia nihil eorum *Anatomicus* adduxit, licet tale postea *Quomodo* producat, ut nec; *Quæstionē, An gratis justificemur, sincere nobis relinquat.*

A

3. *Com.*

3. Conclusio II. *Gratis justificamur* (ut Concil. Trid. sess. 6. cap. 8^o loquitur) quia nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur: si enim gratia est, jam non ex operibus, alioqui, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia. Huic consonum dicit, quod habetur Tit. 3. v. 4. 5. 6. 7. Resp. (1) nullam consonantiam inter Concil. Trid. & inter Apostoli testimonium. *Anatomicus* ostendit: nos multis inter ea duo loca dissonantiam ostendere possemus, nimirum. (1) ex adaequata benignitatis & charitatis introductione. (2) ex misericordiae & operum justitiae oppositione (3) ex salutis ad solam misericordiam relatione. (4) ex causarum salutis consideratione. (5) ex justificationis ad solam gratiam applicatione, &c. sed haec transeant, quia notum ex haecenus allatis, quod *Anatomicus* cum S. L. consensus nihil aliud sit, quam ipsissimus dissensus. Hoc a consideratione dignum esset, si liceret illis immorari, quod ex parte nostri tantum respectu justificationis praecedentia merita neget, sicut verba manifesta notant, ingredientia verò & consequentia merita negare recusat. Sed certum nobis est ex Apostolica doctrina, & ex usu particulae, *gratis*, quam exclusivum, eamque universalem sensum, respectu nostrorum meritorum, habeat, & hoc pacto negat (1) merita praecedentia (2) merita ingredientia, (3) merita consequentia. Verissimum igitur est hoc, quod *Phil. Mel. t. 4. p. 626.* scribit: *Adversarii verba quidem huius propositionis retinent, quia toties à Paulo repetita & inculcata sunt. GRATIS JUSTIFICAMUR propter Christum per fidem.* Sed aliam sententiam affingunt contrariam Evangelio. Et *B. Chemnit p. 1. Exam. art. de justif. p. 145.* observat. *Quod Paulus dicit gratis nos justificari, hoc ita interpretantur, quod non propter nostram praecedentia merita, sed propter Christum gratis nobis donetur & infundatur habitus ille charitatis, propter quam coram Dei tribunali justus pronunciemur ad vitam aeternam.* Ut a. rectè intelligat Lector, unde haec sumpta sint, inferat locum *Bonavent. 3. sent. d. 19. q. 1.* ubi inquit: *Utraque, mors & resurrectio Christi, delicta tollunt, & utraque justificat.* Attamen novi attribui potest propriè causalitas justificationis, sive remissionis peccatorum. Habet tamen aliquam causae proprietatem, scilicet per modum meriti intervenientis, quod reducitur ad causam materialem. Fer-

malis

malta n. est gratia, b. e. charitas, quam Deus infundit &c. Hæc omnia doctrinam Apostolicam corrumpunt, particalæ Gratiæ per regnum, imperfectum, & hæreticum sensum affingunt, & merita nostra in justificationis articulum deducunt.

4. Vidit hoc Adversarius ipse, propterea schemate quodam à Scholasticis, & aliis Papistis, hunc errorem dimovere voluit, quo contra veram orthodoxiam de gratuita justificatione statuunt, hominem vel per fidem, vel per opera justificationem precedentia, de congruo mereri justificationem. Imo quidam adducunt, Deum homini, ita congruè disposito, necessario dare gratiam, non quidem necessitate coactionis, sed immutabilitatis. Respondet (1) Doctrinam de merito congruo non esse universalem doctrinam Ecclesie Papisticae, sed particularem quorundam Scholasticorum: & ideo, quicquid de hac doctrina sit, Ecclesiam Papisticam ea premi non posse. Verum adsumimus hoc, quod non audeat negare, hanc esse Scholasticorum doctrinam, quod tamen aliàs ipsi non inconsuetum. Deinde vanum est effugium, quod doctrina, de merito congruo, non sit universalis, sed tantum quorundam Scholasticorum particularis doctrina. Nam ipse Bellarm. l. 1. de justif. c. 21. §. Si loquitur: scribit: Dicit Concilium (Tridentinum) justitiam à Deo nobis infundi SECUNDUM DISPOSITIONEM ET COOPERATIONEM UNIUSCUIUSQUE, sed an ea dispositio sit meritoria, saltem de congruo, an v. nullo modo, sed tantum sit conditio quadam prærequisita, non explicat (nim. explicitis verbis, licet aliis loquendi modis id satis indicet). Unde postea statim addit contra nostrum Anatomicum, quod meritum de congruo juxta Catholicorum (Papistarum) doctrinam sit adserendum: Jam v. quod attinet ad Catholicos, questio videtur esse ferè de solo nomine meriti, cum aliis conveniat inter omnes Catholicos, dispositiones requiri, & non sola fide homines justificari. Nos a. intelligere certe non possumus, cur non sit hoc tempore utendum nomine meriti, præsertim cum additione illa, DE CONGRUO, cum agitur de operibus, quæ sunt ex gratia præveniente. Hinc B. Chemnit. non tantum ex Andradio, sed etiam ex aliorum Papistarum, qui Concilio Tridentino interfuerunt, scriptis, sententiam Concilii demonstrat p. 1. Exam. C. T. p. 156. inter alia hæc observans:

Longe verò aliud est, de quo insidiosè dimicant Tridentini Patres, quando de preparatione ad justificationem disputant. Et ne opus sit conjecturis agere. Osius in prolixa sua confessione disertè illud explicat. Dicit enim: Scholasticos meritum congrui inde extruxisse, quod apud veteres quosdam alicubi legatur: Peccatores bonis operibus, ante justificationem factis, mereri remissionem peccatorum & ipsam justificationem. Quia v. contra meritum illud congrui, & ex scriptura, & ex Patribus, præsertim, v. ex Augustino, multæ verè possunt opponi: dicit igitur Osius, Synodum Tridentinam maluisse appellare preparationes, l. dispositiones ad gratiam, quam Meritum congrui. Et hoc Lector diligenter notet, Concilium scil. Trident. idem intelligere vocabulo preparationis, vel dispositionis, quod Scholastici intelligunt, quando de merito congrui disputant. Nam & in illis ipsis Scholasticorum disputationibus de merito congrui ubiq; resonant vocabula preparationis & dispositionis. Cum igitur, juxta Patrum Tridentinorum, inter quos Osius etiam extitit, interpretationem, meritum congrui Scholasticorum, & preparationes, seu dispositiones Concilii, sint unum idemq; frustra prorsus hodie noster Anatomicus ineptit, quod doctrina Scholasticorum de merito congrui non sit Ecclesie papistice doctrina. Denique cum Anatomicus ipse sequenti responsione demonstrare contendat, verum inter meritum congrui & doctrinam Pauli consensum, mala fide Papistice Ecclesie meritum hoc abjudicare voluit, quia juxta sententiam ejus Ecclesia Papistica doctrinam Pauli non oppugnabit.

5. Respondet (2) Doctrinam de merito congruo non repugnare doctrinae Pauli de justificatione gratuita: quia ipsum meritum de congruo gratia Dei ex eorum Scholasticorum sententia tribuendum est: unde quicquid ejus intuitu confertur, gratuitum judicari debet. Quando v. quidam Scholastici docent, Deum necessitate immutabilitatis congruè dispositos justificare, nihil aliud volunt, quam Deum ex mera misericordia talibus conferre justitiam: & quia decretum suum mutare non potest, ex suppositione necessario ita facere. Hoc a gratuita justificationi nihil quicquam repugnat: quia S. August. ut alios omittam, singularis gratia Dei assertor, tale meritum ante justificationem agnoscit, dum Epist. 105. ait: Neq; ipsa remissio
siopes

pro peccatorum sine aliquo merito est, si fides illam impetrat; neg. nullum est fidei meritum. Resp. (1) si doctrina de merito congruè consona doctrinæ de justificatione gratiæ Pauli, cur igitur eam negat Ecclesiæ suæ doctrinam? ita universalis Ecclesiæ Papisticæ doctrina cum Paulo non consentiet. (2) Dicit quidem, quod de congruo meritum gratiæ Dei ex communi Scholasticorum sententia tribuendum sit, sed hoc ipsum non probat. Contrarium ex disertis Scholasticorum verbis est apertum. Thomas 1.2. q.2. scribit: Creatura rationalis seipsam movet ad agendum per Lib. arbitrium, unde tota actio habet rationem meriti (nim. non ex gratia, sed arbitrii liberi naturali potentia) quod non est in aliis creaturis. Durandus 2. sent. dist. 12. q. 2. Secundum OMNES DOCTORES (Arrigat aures Anatomicus!) peccator CARENS GRATIA pœnitendo DE CONGRUO MERETUR gratiam justificantem. Congruum n. est, ut bene utentibus donis Natura propter Deum, det Deus bona gratiæ. Quo testimonio nihil clarius adduci potuisset. Falsum igitur, quod communi Scholasticorum sententia omnia gratiæ dicantur, omnia gratiæ tribuantur. (3) Scholasticos docentes, Deum necessitate immutabilitatis congruè dispositos justificare, nihil aliud velle, quam Deum ex mera misericordia decrevisse conferre justitiam, gratis etiam ab Anatomico producitur. Contrarium loquuntur testimonia Scholasticorum, quæ non ad gratuitam Dei misericordiam, sed ad liberam operandi potentiam hic respiciunt. Sufficiat modo Bielii dictum 2. sent. d. 27. concl. 4. Deus dat gratiam facienti, quod in se est, ex necessitate immutabilitatis, & ex suppositione, vel è τὸ καθ' ἑαυτὸν, quia disposuit dare immutabiliter gratiam facienti, quod in se est. Hæc si non omnia, tamen multa gratiæ justificationi detrahunt: imò quia meritum hominis supponunt, gratuitam justificationem evertunt. Augustinus etiam nihil adversario patrocinator, quia dist. in eo fidei meritum papisticum, & patristicum, Papistæ fidei, ceu operi, meritum aliquod remissionis peccatorum adscribunt: Patres de merito fidei objective loquuntur, quia fides illud meritum suum facit, quod verissima remissionis peccatorum causa nuncupatur, & meritum Christi salutatur, Deinde notum est, quod Patres verbum Mereri significatione,

ficatione consecrationis & impetrationis &c. adhibeant, sicut eruditiores Papistae fatentur, & sic etiam Augustinus h. l. semetipsum exponit: *fides meretur, i. e. impetrat, consequitur remissionem peccatorum.*

QVÆSTIO SEPTIMA

Utrum sola fides iustificet?

1. Circa controversie statum varia possent observari, pauca modo sufficiant (1) falsum, quod juxta Conf. Aug. nulla alia re simpliciter coram Deo iustificemur, quam fide. Contrarium apparet. (1) Ex ipsa Confessione, & quidem partim ex Art. IV. ubi dicimur, (1) gratis, i. ex gratia Dei iustificari. (2) propter meritum Christi, vel propter Christum iustificari. (3) per fidem iustificari. Partim ex Art. V. ubi dicimur, (1) propter Christum iustificari. [2] in gratiam recipi propter Christum, (3) credentes iustificari. Idem etiam Art. VI. XX. XXIV. XXV. XXVI. &c. docent. (2) Ex Confessionis Apologia: Si quis n. articulos jam laudatos in Apologia limis saltem oculis adspexerit, plurima contra nostrum Anatomicum testimonia producere poterit. Nos prolixas illas citationes hic studio brevitatis adducere nolumus. (3) Ex Articulis Smalcaldicis. Vid. p. 304. 336. Committitur igitur fall. à dicto secundum quid ad simpliciter: nulla alia re ex parte nostri ὁμολογῶμεν iustificamur, quam fide, sed hoc de fide simpliciter adserere, vera prorsus ἀσυνλογισία.

2. (11) Nihil à S. L. alienum, vel ab orthodoxa fide remotum in his, quæ de fide viva reprehendit. Fidem, nim: sine operibus, mortuam esse, non quod vitam suam fides ab operibus accipiat, sed quod fidei viva effectus & fructus sint bona opera. Hæc n. certo respectu, h. e. sensu Lutberano, verissima sunt. Sed hoc observandum, quod scriptura duplici ratione vitam fidei tradat, i. à priori, de qua sermo Gal. II. 20. vel à posteriori Jacob. II. 26. à priori fides vivit, per veram Christi apprehensionem; à posteriori, per vitalem B. O. productionem. Et sic bona opera formalis, vel intrinseca vita, neque forma, neque causa sunt, sed tantum ejus fructus & signa. Rectè proinde dicitur, fidem vivam non esse in eo, qui B. O. non exercet, quia ab effectu immediato ad causam valet consecutio,

catio, sicut colligere licet, hominem esse mortuum, in quo nul-
la reperiuntur act. ones vitales: ním. à posteriori & ratione cogni-
tionis, non à priori & ratione constitutionis.

3. [III] Per nihil aliud, præter fidem, justificari posse hominem,
inter alia colligitur ex eo, quod omnia, quæ homo facit ante justifi-
cationem, mala sunt: sed hæc neque solitaria, neque primaria ratio:
& certè verissimum, quod nihil, ex viribus arbitrii naturalibus
profectum, coram Deo valeat, exactè legi consentiat, & omnem
bonitatis gradum adimpleat: quomodo igitur ad actum justifi-
cationis opus hominis, ante justificationem, ex viribus naturæ
præstitum, referri debeat, neutiquam apparet.

4. (IV) Reprehendit in *Apol. Confess.* quod absurdam esse di-
cat sententiam Papistarum, quos Catholicos hæc in negotio vocat,
quod justificemur per actum elicitum (illicitum Anatomicus fingit,) *dilectionis*. Sed *Apologia Confessionis* p. 66. seq. hanc causam satis
perspicuè declarat, nec sufficit sola reprehensio. Deinde superius
de *Pecc. Orig. & Lib. Arbit.* Thomas ipse sententiam illam Schola-
sticorum probare non voluit, cur igitur eidem h. l. justificationem
tribuit, eamque Catholicorum esse dicit. Denique si *dilectionis a-*
ctus elicitus justificare potest, neque *gratia Dei*, neque *merito*
Christi, posthæc talibus Catholicis opus erit.

5. (V) Denique doctrinæ Spiritus S. & Confessionis Aug.
Sola fide peccatores justificari, doctrinam Papistarum ex *Concil.*
Trid. sess. 6. c. 9. opponit: Si quis dixerit, sola fide impium justificari,
ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam
consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum volun-
tatis suæ motu præparari acq; disponi, anathema sit. Ex quibus aper-
tum, quod h. l. fides neque misericordia divina, neque Merito Chri-
sti, neque mediis divinitus ordinatis, Verbo & Sacramento, sed
tantum nostris cooperationibus & præparationibus opponatur,
adeoq; *Controversia* status hic erit, solam fidem justificare, non a-
nostras cooperationes, dispositiones & præparationes, coram judicio
divino, hominem peccatorem justificare posse.

6. Conclusio I. Certum est, fidem veram ita justificare coram
Deo, ut circa illam nemo justificetur, quia id partim asserunt S. Scri-
ptores

proves Rom. 3. 22. 25. c. 5. 1. Heb. 11. 6 Resp hoc equidem hodierni
Papillæ fatentur, sed olim altissimum de fide silentium in Papa
tu fuit, sicut docet A. C. art. 20. Deinde licet adserant, *Fidem veram*
justificare, tamen in eo S. L. non consentiunt, quia statuunt,
fidem justicare dispositivè, per modum dispositionis, s. preparati-
qualitativè, per modum qualitatis, vel habitus; activè, per modum
operationis; inhiivè, quatenus nobis inhaeret: cum tamen cer-
tum sit juxta S. L. fidem tantum justicare relativè, quatenus rea-
fertur ad Christi meritum, & illud apprehendit; objectivè, non
ratione sui, sed ratione objecti, quod apprehendit, imputativè, qua-
tenus illud, quod fides apprehendit, nobis ad justitiam imputa-
tur Act. XV. 11. Rom. III. 22. 25. 26. 28. &c. Deniq; aliud est, citra
fidem non justificari, aliud, per fidem justificari: prius multo latius
patet, quam posterius, cum antecedentibus & consequentibus neces-
sariis, omnibusq; conditionibus sine quibus non, conveniat prior lo-
quendi ratio; posterior v. juxta scripturam causam justificationis
instrumentalem importat. Non igitur in questione versatur, an
citra fidem nemo justificetur? sed an fides ita justificet, ut verè sit
justificationis instrumentum? prius multis modis ambiguum,
posterius directè controversiæ statum exponit.

7. Conclus. II. *Per solam fidem non justificamur.* Hanc Ana-
tomicam conclusionem stabilire conatur, partim per argumetorum
suorum probationes, partim per argumentorum nostrorum apa-
parentes resolutiones. Probat I. conclusionem. *Quia in peccatori-*
bus prater fidem, antequam justificentur, requiritur pœnitentia:
E. non justificantur per solam fidem. Nam si per solam fidem justia-
ficarentur, ante pœnitentiam justificarentur: vera enim pœnitentia
est fide & justificatione posterior, ut docent Lutherni. Antecedens
autem probatur ex Sap. 11. 24. Jerem. 18. 8. Ezech. 18. 21. c. 33. 15. Luc.
13. 3. Si enim Deus disimulat peccata propter pœnitentiam; si remit-
tit malum, quod inferre cogitavit, sub conditione pœnitentia: & sub
eadem non imputat peccata, ita ut citra illam omnes pericuri, sint,
manifestum est, hominem per solam fidem non justificari: alias enim
sine pœnitentia, quæ, ut dixi, secundum Luthernos fide posterior
est, justificaretur.

8. Resp.

R. Resp. (1) *per inversionem*: Si pœnitentia justificamur, sequitur, quod hujus objectionis respectu, *sola fide* justificemur: *ratio consequentia*, quia pœnitentia propter *solam fidem* justificat: Duæ siquidem in pœnitentia partes inveniuntur, *Contritio & fides*, ut ex Scripturis alibi pluribus ostenditur. Non autem propter *Contritionem* pœnitentia justificat, quæ legis est, terret & angit, & in non justificatis, *Caino, Juda &c.* reperitur: sed propter *solam fidem*, quæ proficiscitur è dulcissima promissionum Evangelicarum consideratione, meritumque Christi fiducialiter apprehendit. Sed verum prius ex hoc argumento: *E. sola fide justificamur.* (2) nititur *hypothesi falsa*, in consequentiæ probatione, quod vera fides *ante pœnitentiam* detur: nam si de *fide* primum justificante sit sermo, quam h. l. necessariò attendere tenetur, ea certe *ante pœnitentiam* locum nullum habet. Est enim fides justificans *posterior pœnitentiæ pars*, est *anima* totius pœnitentiæ, non igitur *ante pœnitentiam*, sed *in eadem*, locum apud hominem invenire poterit, sicut Christus inquit *Marc. 1. 15. Pœnitentiam agite, & credite Evangelio.* Falsa proinde *consequentia* probatio, quod *ante pœnitentiam* justificentur, qui per *solam fidem* justificantur. (3) Falsum est, quod juxta Lutheranos *vera pœnitentia fide & justificatione* sit posterior: nec illud ex *Lutheranis* adversarius probare potuit, per calumniam igitur hoc asserere voluit. *Lutherani* justificandos *pœnitentes*, non *impœnitentes* justificari docent, adeoque justificationem pœnitentia priorem non faciunt: Fidem etiam *posteriorem pœnitentiæ partem* constituunt, ut ex *art. 12. Aug. Conf.* apparet. Hæc igitur *Anatomica* sunt mendacia. Confundit autem Adversarius *pœnitentiam irrogenitorum*, & post regenerationem *lapsorum*. Hic de *pœnitentia justificandorum*, circa primum justificationis actum, est sermo, quæ justificationem ipsam citra controversiam præcedit: quod autem pœnitentia quotidiana lapsorum & stantium in Ecclesia primum justificationis actum sequatur, præter alia Christus in oratione Dominica docuit, quando nos orare jussit: *Dimittite nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* (4) Dicta quod attinet, illa nihil contra nostram sententiam asportant, sed pro *sola fide* militant: scripturæ dicta non *pœnitentiam papisticam, & fide vacuam*, vel *à fide separatam*, sed *pœnitentiam salutiferam, veram fide conspicuam, & per veram fidem ornatum*, intelligunt, & non nisi propter veram

B

fidem

idem in Christum, seu Messiam, poenitentiae peccatorum dissimulationem, non imputationem, veram justificationem tribuunt: Ergo adhuc sola fides justificat, quia poenitentia propter fidem justificat.

9. Huic primo principali argumento duo alia subordinat, prius ex scripturae monitis; posterius ex scripturae exemplis petitum: De prioribus scibit: Adde, quod nusquam scriptura moneat peccatores, ut credant, sibi remissa esse peccata. Et ita justificentur, sicut monet, ut poenitentiam agant *Matth. III. 2. c. IV. 17. Marc. VI. 12. Luc. XXIV. 47. 2. Cor. VII. 10. Act. XI. 18.* Resp. (1) posito, quod scriptura nusquam moneat peccatores, ut credant, sibi peccata remissa esse, sed ad poenitentiam eosdem excitare, manet tamen adhuc, quod volumus, quia poenitentia non propter contritionem, sed propter fidem justificat, adeoque in poenitentia sola fides justificat, Deinde monita citata h. m. nostram sententiam corroborant, quia, iuxta scripturae sensum, poenitentia propter solam fidem justificat: male proinde noster *Anatomicus* opponit, vel disjungit, quae sunt conjunctissima. Denique fallum, quod asserit *Anatomicus*, scripturam nusquam moneat peccatores, ut credant sibi peccata remissa esse. Contrarium ex plurimis dictis est apertum. Nam Christus *Marc. I. 15.* inquit: *Poenitentiam agite, et credite Evangelio;* Evangelium autem est laetissimum illud de gratuita peccatorum remissione, nostrique justificatione nuncium: unde credere Evangelio, est credere sibi gratis peccata remissa esse: *Matth. IX. 2.* inquit Paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Haec & alia testimonia manifesti mendacii nostri *Anatomici* arguunt.

10. Posterius exempla scripturae nobis opponit, & quidem eorum, qui post peccata indulgentiam & justificationem, non per fidem specialem, qua se certi statuerent, sibi remissa esse peccata: sed per poenitentiam, videlicet per agnitionem peccatorum, per dolorem de illis, & per lacrymas à DEO quaesiverunt, ut Petrus *Matth. XXVI.* Maria Magdalena *Luc. VII.* Publicanus *c. XIX.* Lairo in cruce *c. 23.* Resp. Contrarium ex omnibus illis exemplis est liquidissimum. Non enim illi peccatores propter agnitionem peccatorum, propter dolorem de illis, propter lacrymas, peccatorum remissionem consecuti sunt, quae omnia longè clarius & efficacius in poenitentia judae proditoris inveniuntur *Matth. XXVII. 3. 4. 5.* siquidem de eo non tantum poenitentialis contritio, & gravissima propter peccata

peccatum proditoris commissum *conseruatio* ad mortem usque refer-
tur, sed etiam in eodem reperitur *penitentialis confessio*: Peccavi, *tra-*
dens sanguinem iustum: & *penitentialis satisfactio*, quia *retulit triginta*
argenteos principibus sacerdotum, isq[ue] projectus in templo recessit &c: ne-
que tamen remissionem peccatorum & justificationem his omnibus ac-
cepit. Non igitur propter *contritionis*, vel *doloris*, sed *fidei*, de gratia
DEI, meritoque Christi, defectum hæc penitentia minus salutaris fu-
it: è contra *Petri, Mariae Magdalena, Publicani, Latronis*, penitentia
remissionem peccatorum inuenit, non tam propter *contritionis*, quam
veræ *fidei* præsentiam, sicut prolixè juxta loca citata demonstrari pos-
set, nisi satis in se manifestum id foret. Deinde cum nulla sit inter *re-*
missionem peccatorum atque justificationem, & inter *nostram contritionem*
proportio, certè tale quid de *contritione* peccatorum ne quidem cogi-
tare, multo minus dicere debemus. *Fides* autem propter *objectum su-*
um, DEI gratiam, Christi meritum, sola remissionem peccatorum ap-
prehendit, adeoque *sola* justificat.

II. II. Probat suam conclusionem ex I. Cor. 13. 2. *Si habuero omnem*
fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum
&c. Ergò ex mente Apostoli *sola fides non justificat*, sed cum ea, & *magis*
quam ea, justificat charitas, quæ per Spiritum S. diffunditur in cordibus
eorum, qui justificantur. Hanc enim ob causam *charitatem loco citato fidei*
præfert Apostolus. Et rectè August. l. de nat. & grat. c. ult. ait: *Inchoata*
charitas, inchoata iustitia est, perfecta charitas, perfecta iustitia est.

12. Resp. Apostolus ibi nullum de *justificatione* verbum facit, er-
gò neque *justificationis modum*, vel *processum* ibidem exponit. Consulat
autem Anatomicus Rom. III. IV. V. Gal. II. III. Eph. II. &c. ubi de *ju-*
stificatione Paulus ex professo disserit, & quid de *fide* sit in articulo *justi-*
ficationis statuendum, ex verbis ipsis facile videbitur: Sed ita moris est
hæreticis, prius sedes doctrinæ proprias deserere, peregrina loca produ-
cere, quò figmenta sua possint eò speciosius retinere. Deinde *Paulus* in-
dicat clarissimis verbis, quòd non de *fide salvifica*, sed de *fide miraculosa*
disserat, quia loquitur de *fide* tali, quæ *montes transferre potest*, aliud
autem est de *fide miraculosa*, aliud de *fide justificante* disserere. Porro
fallit etiam *equivocatione charitatis*, quæ h. l. *hominis virtus* est, non au-
tem *miseriæ divinæ actus*, de qua *Paulus* Rom. V. 5. dicit, quòd in *cor-*
dis

*libris nostris diffundatur: sed hæc duo charitate significata diversa modo
notter adversarius h. l. confundit. Item Paulus nullo indicio charitatis
justificationem adscribit, multò minus ipsi magis justificationem, quam fidei
tribuit, quod utrumque Thomas Henrici contra textum, sensum, at-
que scopum Apostoli facit. Denique falsum, quòd ratione justificationis
h. l. charitatem fidei præferat Apostolus, nec adversarius hoc ex textu
demonstrare potuit: sed potius ibi Paulus prærogativam charitati tri-
buit, tum ratione durationis, quia fides cum aliis donis Ecclesie militan-
tis cessabit, charitas autem semper durabit, v. 8. tum ratione relationis,
quia fides tantum DEUM respicit, gratia n ejus apprehendit, tanquam
objectum suum proprium: sed charitas non tantum ad DEUM, sed e-
niam ad omnes homines refertur: tum ratione utilitatis, vel operationis:
quia fides tantum credenti prodest, quia justus fide suâ vivit, Hab. II. 4.
sed charitas etiam aliis prodesse solet &c. Augustinus etiam de justitia
legali & sanctificante, non autem de Evangelica, vel justificante, loquitur,
sicut ex ipsis verbis est apertum. Hic autem de justificatione differimus.*

13. III. *Quod tantum est initium & fundamentum justificationis
nostræ, hoc solum non justificat: Fides est tantum initium & fundamentum
justificationis nostræ, juxta illud Heb. II. 6. Accedentem ad DEUM oportet
credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit, i. e. prima ratio, per
quam homo incipit DEO appropinquare, est fides, Job. 1. 12. Quotquot re-
ceperunt eum, dedit eis potestatem filios DEI fieri. Ergo qui Christum
receperunt per fidem, per hoc solum non fuerunt filii DEI, sed potestatem
acceperunt, ut fierent filii DEI, ut valde probabiliter Theophyl. & alii expo-
nunt. Unde Heb. II. 1. vocatur fides sperandarum substantiarum, sive fundam-
entamentorum rerum. Quibus consonant Cyrill. Alex. l. 4. in Job. c. 9. Clemens
Alexandr. l. 2. Stromat. Ambros. serm. 20. in Ps. 118. August. serm. 16. & 22.
de Verb. Apost. Quare merito dicit Apostolus Rom. 5. 5. Spem, sive fide-
ciam in DEUM non confundere, quia charitas DEI diffusa est in cordibus
nostris, i. e. spem nostram, quæ fidem supponit, inanem fiduciam esse, nisi
charitas DEI sit in nobis.*

14. Resp. Negando Minorem, quia fides non tantum est initium,
sed potius organon continuum, atque perpetuum veræ justificationis,
sicut manifestum est ex Rom. V. 12. c. XI. 20. Col. I. 23. I. Pet. I. 5. &c. E-
tiam ex illis tantum verbis Heb. XI. 6. ita namque vera fides describen-
da.

da, vel circumferibenda foret, fides naturalis homini justificando suffi-
ceret: nulla gratia divina, nulla meriti Christi, citato loco mentio fit,
sed hoc tantum dicitur, quod accedentem ad DEUM oporteat credere,
tum quod DEUS sit, tum quod remunerator sit. Sic omnia
fides justificans à negotio justificationis exularet, si fides hæc existens &
remuneratio divine fundamentum justificationis absolveret. Sed fa-
cile, quod tendat Anatomicus, ex verbis apparet. Papisticam enim fidei
dispositionem & preparationem, tanquam primam motionem, hic intelli-
git, quæ figmentum Papistarum, & aulibi, per universum S. L. circu-
lum, genuinum aliquod documentum habet. Notandum igitur, quod
Heb. XI. 6. verbum fidei, secundum substratam materiam, totumque
contextum exponendum veniat, & sic accedere ad DEUM non transito-
rium, sed continuum h. l. intelligitur, non solum justificationis exordii, sed
totius justificari hominis curriculi, sicut exponit hoc Paulus Rom. V. 1. e.
Justificati fide pacem habemus ad DEUM, per Dominum nostrum JESUM
CHRISTUM, per quem & habemus accessum per fidem ad gratiam istam,
in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum DEI. Totus etiam
contextus, & catalogus fidelium, l. d. propositus, adversarii figmentum
refutat. Sufficiat modò exemplum immediatè præcedens v. 5. Fide Enoch
translatus est, ne videret mortem & c. & immediatè consequens v. 7. Fide
Noe responso accepto de his, quæ adhuc non videbantur, metuens, aperit
arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum, & justitia, quæ
per fidem est, heres est institutus. Ex his enim, tanquam falsissimum,
apparet, quod fides ad solum justificationis initium referendum sit: De-
inde Joh. I. 12. nihil huic commento patrocinator, sive de presenti, sive
de futuro, in imperfecto explicetur, quia ad utrumque statum credentes
in presenti nimirum in *ἰσχυροῦς* pertinere dicuntur, adeoque fides vera non
tantum ad spiritualis filiationis initium, sed etiam ad progressum ejus re-
quiritur. Et fides Heb. XI. 1. dicitur *ἰσχυροῦς* rerum *ἰσχυροῦς*,
non quasi sit transitorium aliquod exordium, sed quod sit constans & per-
manens omnium spiritualium beneficiorum organon, organicum folium
& stabilimentum. Nec leve tale principium, vel momentaneum aliquod
initium, *ἰσχυροῦς* significatum admittit, utpote cum vox illa perma-
nentem, & quidem actualem soliditatem indicare videatur. Nec aliud
de fide Patres sentiunt, quàm quod sit unicum atque continuum justifica-

tionis medium. Unde Cyrill. in illis ipsis citatis verbis inquit, 'ad Christi-
 st. sententiam Joh. VI. Amen. Amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam
 eternam: Janua & via in vitam fides est. Nam in his verbis fides
 non tantum Janua dicitur, quasi tantum primus ad justificationem in-
 gressus sit, ut hic falso contra mentem Cyrilli fingit Anatomicus; sed et-
 tiam via in vitam vocatur, quia totum justificationis progressum fides ab-
 solvit. Et paulo post pergit Cyrillus: Mirari decet dispensationem,
 qua in his verbis utitur. Nam quoniam insensatos omnino esse videt, &
 Prophetarum etiam verbis parum ex imperitia credentes, imbecillitatem eo-
 rum ad fidem quasi jurejurando erigit, premia credentibus precipua, qui-
 bus ad se trahat, proponens. Ita nolentes firmam premii spe ad fidem im-
 pellit. Quod enim melius, aut suavius mortem & corruptionem timentis
 bus, quam vitam eterna? Quum autem ipse sit vita, seipsum credentibus da-
 turum pollicetur, quod est, ut in cordibus nostris per fidem inhabitet. Idem
 etiam reliquorum Patrum dicta volunt, quibus justificatio, vita, salus fi-
 dei; Finis autem perfectio, plenitudo &c. charitati tribuuntur, quia cha-
 ritas sequitur fidem, & fides ratione nostri, quoad sanctificationem in cha-
 ritate perficitur. Neque nos negamus fidem, charitate destitutam, in-
 anem fiduciam esse, sed inde nondum colligitur, ergo charitas justificat,
 vel ergo charitas magis justificat, quam fides, quod vult Adversarius:
 nam fides sola justificat, Gal. II. 16. sed justificantem fidem opera charitatis
 Illustrant & demonstrant, Rom. V. 5. non de charitate nostra, sed DEI ser-
 mo, sicut saepius ostensum, uade frustra locum hunc denuo nobis op-
 ponit.

15. IV. Sicut vita justi consistit fundamentaliter in fide, juxta illud
 Rom. I. 17. Justus ex fide vivit: ita ipsius fidei vita totaliter consistit in cha-
 ritate, sine qua mortua dicitur Jac. II. 17. Et fides per charitatem opera-
 tur Gal. V. 6. idq; in sensu passivo, ut idem sit, quod agitur, vel movetur:
 sicut corpus agitur & movetur ab anima. Quia gratia habetur ἐνεργου-
 ῶν, quod vocabulum occultam vim & energiam, quam charitas fidei tri-
 buit, significat. Quare ita verti posset: in Christo Jesu neque circumcisio
 aliquid valet, neque praputium, sed fides per charitatem animata &
 efficax.

16. Resp. (1) Nec antecedens, simpliciter ita positum, à Luthe-
 rano asseritur. Nam proprie vita justi non tam fundamentaliter, quam
 inferius

*Instrumentaliter, consistit in fide, quia fides ὀργάνον rectius, quam θεῦς
ἀὸν justificationis appellatur: interim si quis fundamentum organicum
fidem appellare velit, eo sensu non contradicimus. Deinde si concre-
tivè, ratione objecti, de fide sermo sit, eum loquendi modum admitti-
mus, si quis vero abstractivè fidem ipsam, ratione sui spectatam, justifica-
tionis fundamentum constituere vellet, nos in eo consentientes non ha-
beret. Sensus autem Anatomicus, qui per τὸ fundamentaliter, tantum
initialiter intelligit, prout in preced. indicavit, prorsus est rejiciendus,
nec hic Rom. I. 17. locum habet, cum ex ibi non tantum ad initium, sed
etiam ad continuum vite spiritualis progressum respiciat, siquidem Hab.
II. 4. dicitur Justus in fide sua vivet. (2) Consequentia negatur, quia à
fide non licet ad charitatem argumentari, cum fidei dignitas non ex actu,
nec ex objecto censeatur: charitatis autem dignitas intrinseca Papistis
dicitur. (3) Falsum, quod fidei vita radicaliter & formaliter in charita-
te consistat, multo minus totaliter, & tantum, in eadem reperietur: Fi-
des enim radicaliter & formaliter vivit intrinsecè, non extrinsecè, in Chri-
sto, Christi que merito, non in charitatis exercitio Gal. II. 20. Mortuus
vero dicitur fides charitatis expers, non tam ratione sui, quam ratione
proximi, sicut ex toto c. II. Jacobi manifestum. Et locus Gal. V. 6. ca-
piti II. 20. non contrariatur: posito proinde, quod talis explicatio lo-
cum inveniat, tamen in c. V. 6. de fidei animatione & operatione ad
extra post justificationem factam, respectu bonorum operum, respectu
proximi, tantum sermo habetur, quia totum caput Quintum potissi-
mum circa studium bonorum operum versatur, neque Paulus ibi de ne-
gotio justificationis ex professo sermocinatur, ut capite secundo: ubi ver-
borum Apostoli; quod nunc vivo in carne, in fide vivo Filii DEI: sensura
hunc esse dicit Estius, quod in carne hac mortali, variis ebnoxia
tentationibus, juste vivo; non legi acceptum fero, sed fidei, quam habeo in
Christum Filium DEI. Justus enim ex fide vivet: Ergo si ex fide, non ex
charitate, nec ex charitatis exercitio, quia non ex lege, quæ charitatis
fons & origo. Et idem Estius in Rom. I. 17. neque totaliter charitati
hanc vitam tribuit, neque radicaliter, multo minus saltem vite spirita-
lis exordium fidei proprium facit. Sensus, inquit, est hujusmodi: Justus,
in quantum justus est, vivit ex fide: ut qui vitam justitiae neque adipisci
poterit, nisi per fidem: neque retinere eam possit, & in ea permanere, ne-
que in ea crescere & proficere, nisi per fidem. Ac breviter: Totam vitam
justi*

facti, quod a justus est, ex fide est: quia tota ejus justitia ab initia usque ad
finem ex fide est. Hæc aperte satis Anatonico nostro contraria. (4)
Fallum autem quod talis explicatio vocis εὐσεβειαν vel textui, vel
scopo, vel analogiæ phræses N. T. vel ipsi Grammaticæ, sit consona.
Vid. Baldum. super b. l. qui commentum illud jam in Bellarmino reco-
lutavit.

17. V. Sola fides in homine post peccatum, & ante justificationem
existens, non est opus bonum, secundum Confessionistas: sed opus displicens
DEO, & magis ex se damnans. Ergo sola fides justificare non potest.
Probatur antecedens: quia omnia opera ante justificationem ab homine
facta, mala sunt, ut sæpius in Confessione dicitur: Actus fidei, per quam ju-
stificari dicant hominem, exercetur ante justificationem (quia est instru-
mentum justificationis acquirenda,) Ergo actus talis malus est, & conse-
quenter magis damnat, quam justificat. Itaque sicut Apol. tit. de justif.
dicit: Hoc imprudentissime scribitur ab Adversariis, quod homines rei æ-
ternæ iræ, mereantur remissionem peccatorum, per actum illicitum dilectio-
nis (quanquam hoc falsissimum est) ita nos argumentamur: contra o-
mnem rationem dicere Lutheranos, quod peccatores justificentur per solam
fidem, cum actus fidei, ante justif. productus, secundum ipsos illicitus sit &
damnabilis.

18. Resp. (1) concedendo totum, quod sola fides non justificet, nec
justificare possit, nimirum sensu Papistico, ut fides est actio, vel opus: sola
tamen fides justificat Apostolico sensu, ut est relatio, meritumq; Christi re-
spicit. Deinde fides, quæ ante justificationem in homine corrupto
post peccatum existit, non est Evangelica, sed legalis: ex lege verò non ju-
stificatur caro, Rom. III. 20. nam fides Evangelica & justificans non ante
justificationem, sed intra justificationis actum in homine datur: quia po-
nere fidem justificantem sine justificatione est ponere agens, vel actum si-
ne actione, quod verè implicat. Fallum igitur, quod actus fidei justifi-
cantis exercetur ante justificationem: in justificatione, non ante justifi-
cationem exercetur, sicut potius per inversionem ex instrumenti naturâ
liquet, quia instrumentum formaliter in usu consistit, non autem vel ante
usum, vel post usum formaliter, sed tantum materialiter, instrumentum
appellatur, prout veræ Philosophiæ Studiosis notissimum. Actus igi-
ter, quo fides justificat, non est absolutus operis, ut censet falsò noster.

Anato-

Anatomicus, sed organicus in relatione objecti. Denique malitiosè Apologia verba corrumpit, & pro elicto dilectionis actu, quem in Adversarios rum Scriptis Apologia notat, eidem illicitum & damnabilem dilectionis actum affingit. Sic enim Apol. verba sonant p. 66. Postremò hoc imprudentissimè scribitur ab Adversariis, quòd homines rei aeterna ira, mereantur remissionem peccatorum, per actum elictum dilectionis, cum impossibile sit diligere DEUM, nisi priùs fide apprehendatur remissio peccatorum. Sic nullum apud Adversarios crimen tanti censetur, quod ipsi non committere, quàm veritati subscribere malint. Forsitan autem noster Anatomicus ex alio pro Elicto Illicitum descripsit, & Apologiam ipsam non inspexit.

19. Objectiones nunc Apologia resolvere conatur ex p. 73. (1) Quia Paulus ipse varias exclusivas particulas adhibet: Lutheranos autem opinionem meriti, non Verbum & Sacramenta, sicut Papista calumniantur, excludere. (2) Quia consequi remissionem peccatorum sit justificari &c. solà autem fide nos consequi remissionem peccatorum, vid. p. 74. (3) Quia certum sit, peccata remitti propter Christum, quem fide apprehendimus, &c. p. 75. (4) Quia remissio peccatorum sit res promissa propter Christum: igitur non potest accipi, nisi solà fide &c. Vid. p. 75. 76. (5) Quia Patres idem docuerint. Vid. p. 79 seq. Resp. (1) non omnia Apologiae fundamenta arrodere, multò minùs adducta resolvere potuit Anatomicus. Plura siquidem nostræ sententiæ fundamenta reperiuntur in Apol. sicut inspectio libri docet. (2) Plura quoque nobis adhuc ex S. L. argumenta suppetunt, quæ tamen Apologia, tanquam Liber Symbolicus brevitati studens, adducere noluit. (3) Quàm lubrica sit responsio ad producta fundamenta, sequens discussio monstrabit.

20. Respondet I. Neminem ante B. Lutheri tempora offensum iis Patrum testimoniis, quibus docent, solam fidem justificare: quia nimirum hoc eodem sensu docent, quo Apostolus in objectione citatus dicit, nos gratis, non ex operibus nostris justificari. Et si nihil aliud vellent Adversarii, quàm per particulam Sola, excludere operum meritum ante justificationem, ut Confessio subdolè insinuat: neque offenderemur eorum doctrina, neque quicquam contradiceremus. Nunc autem, quia ita solà fide justificari docent hominem, ut ipse justitiam internam non habens, sed per fidem justitiam

nam CHRISTI apprehendens, & certò statuens, sibi propter CHRISTUM remissa esse peccata, reputetur coram DEO justus, quamvis in se verè peccator maneat, & odio DEI ac eternâ damnatione dignus, meritis offendimur. Id enim hac doctrinâ persuadere volunt, quod nusquam Scriptum, nusquam orthodoxi Patres docent. Et quia Lutherus, ut novæ doctrinæ suæ colorem aliquem induceret, antiquum Pauli textum Rom. III. 28. depravavit, addendo vocem Solam, non possumus non offendi.

21. Verùm & Pauli, & Patrum, & Lutheri, & omnium nostrorum Theologorum idem sensus est, adeòq; frustrâ diversitatem inter Paulum & Lutherum, inter Lutherum & Patres fingit. Omnes nimirum non tantum operum meritum ante justificationem, sed etiam circa justificationem, & post justificationem, à justitia, ex se coram DEO valente, profus excludunt, sicut Paulus semetipsum, & omnes dilectos DEI, vocatos sanctos includebat: Rom. III. 28. Arbitramur hominem (nimirum quemvis, & justificandum & justificatum, vel irrogenitum & renatum) justificari per fidem sine operibus legis (absolutè, sive respectum habeant ante, sive circa, sive post justificationem.) Et passim de se renato & justificato Paulus idem pronunciat. (2) Falsum, quòd Confessio subdole insinuet, particulam Solam, excludere tantum operum meritum ante justificationem: nam Confessio Art. 4. omnibus propriis viribus, meritis & operibus absolutè justificationem coram DEO negat: & idem Artic. 5. & 6. repetit, ut non nisi per calumniam subdole collusionis cum Papistis accusari possit. (3) Falsum, si Confessio meritum operum tantum ante justificationem rejiceret, quòd Papistæ sincerè huic doctrinæ subscribere possint, quia illud neque meritum congrui, neque preparationes & dispositiones Papisticae, juxta Conc. Trid. admittunt, sicut superiùs demonstratum, quibus meritum operum etiam ante justificationem introducunt. (4) Superiùs jam refutavimus illas calumnias, q. 5. quas hîc repetit ad verlatius de negata justitia interna, de negato intrinseca justitiæ imputata & stata, de reputatione justitiæ imaginaria &c. nullum igitur de his verbum addimus. (5) Hinc apparet etiam calumnia novitatis; Lutheri doctrinæ, quòd sola fides justificet, non est nova, quia Scriptura, Patrum, & ipsorum saniorum Papistarum, consensum supponit, & antiquæ veritatis elogium meretur. (6) B. Lutherus neque depravavit locum Rom. III. 28.

nec ipsi quicquam addidit, non enim nudam Apostoli vocem, sed genuinam ejus mentem, plenam loci sententiam, & vim pro seos propriam, exprimere voluit. Et sicut *Vulgata*, & aliae versiones *Papisticae*, tum alibi, tum h. l. particulas, & exclusivas, & alias, plenioris intellectus causâ textui ad-dentes, nullius depravationis à *Papistis* arguuntur, sic etiam *Anatomicus B. Lutherum* à depravationis reatu absolvere necessum habet. Prolixè hoc calumniae genus sæpiùs à *B. Lutero ipso*, & à plerisque *Theologis nostris* protritum, & tamen vetustissimam calumniae hujus crambem *Thomas noster* recoquere voluit.

22. Resp. II. *Quamvis justificari non est tantum remissionem peccatorum consequi, sed etiam interior per Spiritum S. renovari, ut ex dictis constat: quia tamen simul justificantur homines, quando peccata ipsis remittuntur, per solam fidem, sensu Lutherano, non remitti peccata, sed licet ex sola misericordia DEI, & meritis satisfactoriis remittantur; ex parte tamen nostra, ut alia omittam, requiri poenitentiam & dignam sacramentorum susceptionem: poenitentiam quidem, ut in conclusione probatum est; Sacramentorum autem susceptionem, ut in objectione prima fateatur Apologia. Scriptura autem testimonia, quae fidei justificationem tribuunt, nihil contra nos faciunt; quia neque dicunt, per solam nos fidem justificari: neque nos negamus fidem esse causam justificationis, quamvis sensu Lutherano non sola justificet: hoc in scriptum nusquam offerit.*

23. Verum iterum fallit adversarius confundendo formam cum effectu: justificari formaliter est consequi remissionem peccatorum, & effectus ejus est, per Spiritum Sanctum renovari, quia renovationis causa justificatio: nunquam enim Spiritus Sanctus renovationem in cordibus hominum operaretur, nisi homines DEO reconciliati, vel verè justificati forent. Et quia nihil, præter dicta prius, ruminat, ea jam in præcedentibus discussa sunt. Deinde quod ex parte nostri requirit ad justificationem poenitentiam, & dignam sacramentorum susceptionem orthodoxiae nostrae nihil derogat, sed veritatis splendorem ipsi conciliat: ad prius sufficienter in conclusionis discussionem responsum est, & contra *Papistas* demonstratum, quod per hanc instantiam nostra sententia magis corroboretur, quam enervetur. Idem etiam de posteriori dicendum. Ut enim nihil dicamus de eo,

Sacramenta salutis instrumenta dici, non ex parte nostri, sed ex parte
DEI, cum DEUS per sacramenta justificationem offerat, & ordina-
riè conferat: hic autem de instrumento ex parte nostri sermonem esse:
neque hoc urgebimus, quod martyres olim sine baptismo & Cœna
Domini, propter fidei Christianæ confessionem ad cruciatus abrepti,
per solam fidem justificati sint & salvati, quod Papista diffiteri non
possunt: sed hoc saltem modò notabimus, quod digna Sacramento-
rum susceptio fide fiat, sicut de Cœna Domini B. Lutherus in Catech.
M. nori luculenter observat: Ille verè dignus, ac probe paratus, qui ha-
bet fidem in hac verba: Pro vobis datur & effunditur in remissionem
peccatorum. Qui verò his verbis non credit, aut de illis dubitat, ille est in-
dignus ac imparatus. Quia hoc verbum PRO VOBIS postulat omninò
cor, quod DEO credat. Fides enim est vestis illa nuptialis, quâ vocati ad
nuptias regias comparere tenentur, Matth. XXII. 11. hac qui destituun-
tur, iudicium Regis gravissimum incurrunt. Cùm igitur digna Sacra-
mentorum susceptio, qua justificationis organa sunt, vera, solas, Fide fiat,
rectissimè, solam Fidem justificare, rursus inde colligitur. Alio verò
respectu ad dignitatem illam etiam opera bona requiri posse, manibus
ambabus largimur. Denique Scriptura dicta omninò contra Papistas
faciunt, quæ Fidei justificationem tribuunt, quia Paulus perpetuam inter
Fidem & Opera, quovis respectu considerata, in negotio Justificationis
Evangelicæ oppositionem instituit, quæ Papistis directè contrariatur,
cùm meritum congrui & condigni nostrorum operum illi defendant. Et
licet totidem verbis non extet in dictis illis, per solam Fidem nos justifi-
cari, tamen vis phræseos, virtus exclusiva, antecedentia, consequentia, si-
milis dicta, & scopus Apostoli, firmiter hoc evincunt. Hæc ipsimet sa-
niores Papistarum confiteri necessum habent. Estius in cap. 11. Gal. v. 16.
ad verba, Nisi per Fidem JESU CHRISTI, notat: Sententiam rede-
dit obscurem particula NISI. Quæ si propriè, ut Latinis auribus sonat,
accipiat, exceptionem faciet ab eo, quod præcedit, ut sensus sit, hominem
non justificari ex operibus legis, nisi Fides in CHRISTUM ad ea opera ac-
cedat: quæ si accesserit, justificari eum per legis opera. Sed cùm hic sen-
sus Justificationem dividat, partim eam tribuens operibus legis, partim Fi-
dei Christi, quod est contra definitam Apostoli sententiam, docentis Rom. 3.

ex operibus legis neminem justificari coram DEO, sed justificari hominem per Fidem sine operibus legis &c. Verum constat, particulam NISI frequenter in Scripturis adverbialiter sumi, ut idem valeat, quod SED TANTUM, quemadmodum etiam superiori capite admonuimus ad illa verba: Nisi sunt aliqui, qui vos conturbant. Sic autem intelligi debere b. l. non modo doctissimi quique interpretes Graeci & Latini consentiunt, verum etiam satis colligitur ex his, quae paulo post sequuntur b. l. & ex memoratis Apostoli verbis Rom. 3. Hinc postea ad Pauli verba: Ut justificemur ex Fide CHRISTI, & non ex operibus legis: observat hunc sensum: Nos &c. scimus & certissime persuasum habemus, non justificari quengquam per opem, quae faciat sola lege instructus, sed TANTUM PER FIDEM JESU CHRISTI, qui Justitiam nobis sua passione promeruit. Et certe vanum hoc adversariorum effugium sapissime contritum est. Verbis etiam, sensu Lutherano, rudioribus fucum facere conatur, quasi Papistae quoque statuunt, sola Fide hominem justificari, Lutheranum saltem sensum oppugnant: sed notum est, quod in totum hanc assertionem repudient, unde nos Fidesotarios appellant, doctrinam totam sub heresi Simonis, Eunomii, Basilidis, imo sub Diabolici figmenti blasphemia calumniantur, prout hoc prolixè demonstrari posset, nunc sequentia tantum adducimus. Nam Concil. Trident. sess. 6. can. 12. 14. huic doctrinae dicit Anathema. Bellarminus l. 1. de Justif. c. 13. §. 1. seqq. hominem non justificari sola Fide, quinque argumentis principalibus demonstrare conatur. Et lib. 4. de Eccles. c. 9. cum profligatissimis haereticis, Simonianis, ac Eunomianis, propter hanc doctrinam, de sola Fide justificante, Lutheranos conjungere voluit. Fevardeus in praefat. Comment. in Epist. Jacob. Dogma hoc, inquit, minimè Apostolicum esse, sed Simonis Magi, Eunomii, Basilidis, Joviniani ac Pseudo-Apostolorum haeresis terribilissimam. Johannes à Davenzia apud Andream Fabricium in harm. p. 53. Fidem solam Diabolicum figmentum appellat. Et licet Papistae Fidem causam dicant justificationis, tamen in voce tam causa, quam Fide ludunt, quia Fidem activam, preparantem & disponentem, & per causam, exordium & initium nudum intelligunt, quod utrumque superius refutatum.

24. Respondet III. Non eo solo nos justificari, quo promissionem

DEI apprehendimus: sed quæ res à DEO nobis promissa applicatur. Res autem promissa est iustitia & salus æterna, quæ non applicatur nobis per solam Fidem, ut ex dictis constat. Fatemur tamen, nos iudicio DEI nec Fidem, nec opera, neque ad eò Iustitiam nostram, tanquam pro peccatis satisfactoriam, opponere posse: solius enim CHRISTI merita sunt propitiatio pro peccatis nostris. Hec autem propitiatio nobis applicatur, quando ex vera Fide ad misericordiam DEI confugimus, & pœnitentiam agimus: non in pœnitentia nostra, tanquam ex se remissione peccatorum digna, sed in CHRISTI meritis confidentes. Præter hæc enim nihil quicquam cogitari potest, non tantum in homine peccatore, sed etiam in iustissimo, vel supremo Angelo, quod dignè satisfaciatur pro minimo peccato mortali. Videant ergò Adversarii, quanta sit calumnia, quæ nos docere dicunt, hominem consequi remissionem peccatorum per vires naturales, per propria opera, sepulto CHRISTO cum suis meritis &c.

25. Verum posito, quod non eo solo nos justificemur, quo promissionem DEI apprehendimus, sed quo res à DEO promissa nobis applicatur, nostra tamen inde confirmatur sententia, quia fides est solitarium illud organum, quo promissionem DEI non tantum apprehendimus, sed etiam rem promissam applicamus: nec aliud hic organum apprehensionis, aliud applicationis, adversarius producere potuit: quod autem iterum ad pœnitentiam, & dignam Sacramentorum susceptionem respicit, jam demonstratum antea, quod propter solam fidem, non propter contritionem, pœnitentia justificet, & quod per solam fidem dignè Sacramenta suscipiantur. Unde luce veritatis convictus, hanc Confessionem edere cogitur *Anatomicus*: Fatemur nos iudicio DEI &c. sed ex hac Confessione meritum congrui & condigni destruitur, omnis vero iustitia soli fiducia, vel fidei in meritum Christi, tribuitur. Et certè, si constanter atque sincerè confessionem istam crederet, nunquam cum aliis Papistis contra veram fidei iustitiam, à Lutheranis hætenus adsertam & creditam, disputaret, nunquam toties Papistarum meritis subscriberet, nec etiam socios, in errorum densissimis tenebris hærentes, defenderet. Sed merum in his etiam fucum facit. Nam enumerationem Scholasticorum errorum, in *Apologia Confessionis* factam, mox calumniam dicit, quos tamen errores sæpius ipsis Scholasticis

laticorum, aliorumque Papistarum verbis & hypothefibus, & de quibusdam adhuc *qvæst. preced.* probatos dedimus. Hic solem illustrare nolumus.

26. Respondet IV. *Premissionem DEI, de remissione peccatorum, fide accipi, posse duplici sensu intelligi: 1. quia promissionem hanc, tanquam certam & infallibilem, tenemus per fidem, & de illa non dubitamus: quo sensu concedimus, per solam fidem haberi hanc promissionem: quia per fidem solam in symbolo Apostolorum, tanquam indubitatum arcuculum, profiteamur Remissionem peccatorum. 2. Intelligi potest, sola fide accipi promissionem de remissione peccatorum, i. e. per solam fidem remitti peccata; & hunc sensum negamus: quamvis adversarii per petitiones principii eam millies inculcent, nullo scripturae testimonio probantes.*

27. Verum h. l. non de fide dogmatica, sed salvifica sermo, non de fide Confessionis, vel professionis, sed absolutionis & justificationis, adeoque frustra medelam & cautelam hanc affert: non enim *qvæstio* est, an sola fide remissionem peccatorum confiteamur & profiteamur? sed, an sola fide peccatorum remissionem & justificationem consequamur? ita tamen ludendum illis, qui nesciunt, ubi pedem incertum mendaciorum, contra veritatem immobilem figere velint. Deinde non tantum *controversia statum* sic immutat, sed etiam, dum contra thesin August. Confess. disputat, onus probandi *σφισμῶς* in thesin ipsam derivat, eamque *petitionis principii* postulat, ut eò facilius effugia sophistica sibi parata videat. Sed ita contra leges disputantium peccat: quia non est *rebeseos*, sed *thesin oppugnantis*, onus probandi sustinere. Denique contra semetipsum disputat, quia *resp. 1. & 5.* concedit Patribus, *resp. 2.* concedit aliis, *solam fidem justificare*: sed in his testimoniis nequaquam Patribus de fide doctrinali, vel symbolica, sed de justificatione, sive organica sermo. Et certè, qui logicis præceptis utitur, is absque difficultate cognoscit, quod propositiones hæ sint æquipollentes: *Fides sine operibus justificat, & Non opera, sed sola fides justificat: ab una vero æquipollente ad alteram verissima datur consecutio.* Prior est Apostoli Rom. III. 28. qui similes particulas etiam alibi adhibet Gal. II. 16. *quod non justificetur homo ex operibus legis, nisi per fidem in*
Jesum

Iesum Christum. Et subiungit: *Nos in Christo Iesu credimus, ut iusti-*
femur ex fide Christi, & non ex operibus legis propterea ex operibus legis
non iustificabitur omnis caro. C. III. II. In lege nemo iustificatur apud DE-
UM, quia iustus ex fide vivet. Eph. II. 8. Gratia estis salvati per fidem,
& hoc non ex vobis. DEI donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.
Quid in his, & similibus scripturæ testimoniis, pro nostra sententia mi-
litantibus, adversarius desiderare poterit? Falsum igitur, quod ex
nullo scripturæ testimonio nostram sententiam probare possimus, cum
hæc clarissima testimonia jam olim *Apologia* contra *Papistas* adduxe-
rit, & sola fide nos iustificari, prorsus invictè demonstraverit.

28. Respondet V. negari non posse, S. *Ambrosium* & alios *Patres*
aliquando dicere, nos sola fide iustificari, idque diversis significationibus,
sed nulla, quæ doctrinæ *Adversariorum* faveat. Verum quia latissimus
hic esset dicendi campus, contra *Adversarium* scripta *Patrum* exami-
nare, & à pap. corruptelis eadem liberare modò non possumus, brevitas
causa generalia sufficiant. Adsumimus (1) quod fateri cogatur,
patres à nostris stare partibus, & idem nobiscum docere, sola fide nos iu-
stificari (2) Non tantum *Patres*, sed etiam *Authentici S. L. scriptores*,
prout hætenus probatum, & *saniores Papiste*, sicut *B. Gerbard. in Conf.*
Cathol. demonstravit, nostræ sententiæ subscribunt, nec adversarius
ipse, dum hanc doctrinam refutare conatus est, eam omninò rejicere
potuit. (3) *diversas*, quas fingit, significationes, de fide dogmatica, de
penitentia concomitantia, de *Sacramentorum* susceptione digna, jam in
præcedentibus resolvimus, in hoc igitur *Pauli, Patrum, saniorum Papi-*
starum, B. Lutheri, omniumque orthodoxorum doctrina, *Sola fide homi-*
nes iustificari, firmiter acquiescimus. *Specialia* circa dicta *Patrum* jam
in *Apologia* sunt ex parte proposita, & quæ restant, partim publi-
cæ collationi submittimus, partim in *controversiis*
Apol. persequemur.

or(O)de

¶

Lang VI. 5 1

ULB Halle 3
003 730 670



f

TA → d
neu 14 27 Stück verbleibt

Rino
V377





